BIBLIOTHECAE
ZALVSCIAE
DEDICATIONEM

IPSA DIE

AVGVSTO

IN FASTIS SACRA

CELEBRANDAM
SARMATIAE

QVO PAR EST

ANIMI CVLTV

GRATVLATVR

ERNESTVS MARTINVS CHLADENIVS

VITEMBERGAE

EX OFFICINA SCHLOMACHIANA

CIↃ IↃ CCXLVII

REVERENDISSIMO CELSISSIMOQVE

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

CHRISTOPHORO ANTONIO

COMITI

SZEMBECK

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI

LEGATO NATO

REGNI POLONIAE ET MAGNI DVCATVS LITHVANIAE

PRIMATI

ET

PRINCIPI PRIMO

ORDINIS POLONI AQVILAE ALBAE EQVITI

Diuinitate quadam gaudere, imo plane rem diuinam eſſe, literas, niſi illud fidem faceret, quod mori uetent, aeternitatique conſecrent, ſui cultorem, certe ex eo cognoſceremus, quod earundem amore trahi ſe patiantur, qui Deorum uicem in terris gerunt, Reges, et Regibus proximi. Nullibi uero literis ſua diuinitas animoſius aſſeritur, quam in Sarmatia. REGEM AVGVSTISSIMVM *in Aulae Splendorem eas adſciuiſſe, et nunc, quot* PRINCIPES REGII *ornent* AVGVSTAM DOMVM, *totidem* LITERARVM PRINCIPES *eſſe, ea res omnium oculis obuerſatur, imo pridem admirationem, an dicam*

ſtupo-

ſtuporem, iniecit populis, iis etiam, qui nihil mirantur, niſi ſua. Proximus REGI TV *haberis,* PRINCEPS CELSISSIME, *non Dignitatis Excelſae tantum Gradu, ſed etiam literis, quarum amore trahi* TE *adeo pateris lubenter, ut Principum nemo lubentius. Scilicet in his momentis aliquid praeſidii inuenio, ne audaciae reus poſtuler, quod* CELSISSIMI NOMINIS TVI *Splendorem ſcriptioni meae circumfundere non dubitem. Quod enim literas habeas in pretio,* TE*que habere publice demonſtres, id manifeſtum facit argumentum, quod habeas etiam literatos, nec audaculum reputes, aut, ueluti profanum, a Penetralibus* TVIS *ſubmoueas, qui, ea commendatione inſtructus, accedat,*

quod,

quod, praeter bonam mentem, amet literas. Hac ego cauſae fiducia ago. Hac Poſtibus TVIS, *qui* REGNI *Gubernacula, Primus a* REGE, *tractas, figo uotiuam tabulam, indicem pietatis, qua trahor in* NOMINIS POLONI *cultum et admirationem. Hac uota capeſſo, ut Superi* TE, CELSISSIME REGNI PRIMAS, GENTEM*que* ILLVSTRISSIMAM, *Regni Senatoribus ſemper Foecundam, in Decus et Florem Rei Sarmaticae, ſoſpitent, omnique abundantem felicitate perpetuent.*

Quae uoluptatis futurae praeſenſio, ſimulque ulterioris morae impatientia, in M. Tullii Ciceronis animo inſedit, cum Attico ſuo ſcripſit:[a] *Velim, cogites, id quod mihi pollicitus es, quemadmodum bibliothecam nobis conficere poſſis; Omnem ſpem delectationis noſtrae in tua humanitate poſitam habemus*, eadem iam anno ſuperiori uniuerſam Sarmatiam, nec Sarmatiam modo, ſed totum, qua literis hoſpitalis factus, orbem, occupauit, et hactenus omnium in animis tenacius inſedit. Scilicet, ex quo, Incomparabile illud Fratrum Par, Zaluſcii, quem utrumque, tum ob antiquam fidem candoremque, tum ob doctrinae uarietatem, tum ob munificentiam in rem literariam, reique literariae

a) CICERO *ad Att. Lib. I. Ep.* 7.

cultores, tum ob reliquam laudem, aliquid maius diceres et illuſtrius, quam Atticum, ex quo, inquam, Hi publicam fecerunt fidem, ſe condituros in Patriae commoda Bibliothecam, dici non poteſt, quantam noua res ſui concitauerit expectationem. Phidiae quoddam ſignum in Sarmatia parari credidiſſes. Adeo intente omnium oculi animique in illam erant conuerſi. Imo parabatur Phidiae ſigno aliquid praeſtantius, nobiliusque. Nam operis architecti erant Zaluſcii, quo Nomine, neſcio, an ad excitandam admirationem efficacius ſit aliud. Efficaciam certe in hoc experti ſumus argumento. Cum enim percrebuiſſet fama, a Zaluſciis parari Bibliothecam, omnes ex ipſo Zaluſcio Nomine augurium capiebant, et omen, abſolutiſſimum, et Regni miraculum, fore, quod pararetur, opus. Quanto uero certius ceperant omen, eo cupidius opperiebantur dictum dedicationi diem, illas Sarmaticae felicitatis et publicae delectationis calendas. Ardebant animi, idemque omnes ſimul ardor habebat. Omnium in uotis erat, ne qua diei obiiceretur mora. At fallaces ſunt hominum ſpes. Quo maius et exquiſitius appetas bonum, quo maiorem ſperes delectationem, eo facilius ſpes deſtituet, aut certe lentiori gradu appropinquabit expectatiſſima dies. Huius rei experimentum cepimus, qui celebritatis, quam Bibliotheca Zaluſcia erat editura, deſiderio tenebamur. Celebritati enim intercedebat, quod dies, iam dum a Zaluſciis dictus, publicis Regni negotiis erogandus eſſet. Cui quidem neceſ-

ſitati quo promtius cedebant Zaluſcii, (neſcias enim Ciues, ſaluti Patriae cedere, promtiores) eo grauiorem res literaria iacturam facere uidebatur. Querebamur, quotquot cenſemur literis, omnem ſpem uoluptatis noſtrae, fructumque, quem non ſtudiis tantum politioribus, ſed plane Regnis et populis, augurati eramus, interceptum uideri. Querebantur et Sarmatae, Illa non literis minus, quam bellica laude, clariſſima Natio, iuſtam quidem uideri iſtam neceſſitatem, quae Regni florem reſpiciat, at eo duriorem, quod publicam ſimul delectationem, quam Zaluſcii parauerant, aut prorſus intercludat, aut certe retardet. Vos teſtor, Proceres Sarmatiae, et Munerum, et Familiarum, praerogatiua, itemque literarum dignitate, Praeſtantes, Regni Fulcra et Decora, Vos, inquam, qui in nuperis Regni Comitiis conſilia miſcuiſtis, non Veſtro tantum Regno, ſed populis uniuerſis, ſaluberrima. Publice intereſt, reminiſci, quod in his ipſis Comitiis, interque medias, quibus Poloni Nominis Gloria agitabatur, conſultationes, dulciſſimum reputaueritis negotium, Bibliothecam Zaluſciam inuiſere; laudare eius ornamenta, inter quae maximum habetur Vterque Bibliothecae Conditor; mirari codicum et numerum, et delectum, et nitorem, et reliquam uirtutem; accelerare uotis dictum dedicationi diem, diem ampliandae Polonae Gloriae accommodatiſſimum; denique omni re fidem facere, iis momentis, quibus Regni ſalus, et Gloriae incrementum, conſtet, recte accenſeri Bibliothecae Za-

lusciae dedicationem. At interest etiam, meminisse, quantam Animis Vestris, publicae utilitati semper intentissimis, aegritudinem attulerit illa desideratissimae celebritatis interpellatio. Attulit certe tantam, ut, quem fructum Bibliotheca Zaluscia Rei Sarmaticae allatura sit, exinde satis intelligamus. Erat enim aegritudinis causa, quod hic fructus uideretur interceptus. Iam uero Vestram Fidem imploro. Vos, nisi audax facinus uideatur, tot tantosque Heroës in testimonium uocare, Vos testor, quid ex eo die, quo, Bibliothecae Zalusciae dedicationem peragere, negatum fuit, tum Animis Vestris, tum etiam uoce, et calamis, agitaueritis. Nonne Ciceronis, quem et sapientiae, et eloquentiae, laude aequatis, an dicam superatis, exemplo, nunc Andream, nunc Iosephum, Zaluscios, blande amiciterque hortati estis, ut, quod et Vobis, et Regno Vestro, et orbi literario, essent polliciti, cogitarent, quemadmodum Bibliothecam, Regni praesidium futuram, conficerent, confectamque dedicarent. Nonne etiam omnem spem delectationis Vestrae in Vtriusque Conditoris humanitate posuistis? Te praesertim testarer, Celsissime Regni Primas, nisi summum, in quo collocatus es, Fastigium, audaciae gradum augere uideretur. Testor tamen. Nam audaciam minuit Tua, Gratiosissime Princeps, Indulgentia. Liceat mihi, ex rei literariae diurnis eum mensis Decembris superioris anni diem repetere, qui hac re memorabilis habetur, et nunquam non habebitur, quod Tu, Celsissime Princeps,

ceps, Gratiosissima Ora Zalusciae Bibliothecae inferres, eiusdemque non tam Spectatorem, quam Admiratorem, Te praeberes. Quod enim Te praebebas, quod singula laudabas, id manifestum erat argumentum, Te partim Tuo, partim Regni, cuius Primarium Decus haberis, Nomine, tum gaudere, quod Sarmatae tot publicae delectationis instrumenta sint habituri, quot codicibus instructa sint Zalusciorum armaria, tum etiam indolere, quod huic delectationi, cuius auspicium datura erat Bibliothecae Zalusciae inauguratio, quaedam allata sit mora. Certe, quae in Animo Tuo, rerum omnium, ad Regni Integritatem Maiestatemque spectantium, intelligentissimo, insederit, ea de re, sententia, nisi pluribus constaret documentis, ex hoc abunde cognosceremus, quod, finitis Regni Comitiis, Varsauia abscedere, Tuasque Terras, quas maximo Indulgentissimi Principis sui desiderio teneri fides erat, et Sedem Principalem, reuisere nolueris, nisi prius Oculis et Animo lustrasses Bibliothecam Zalusciam. At quo Tu, Celsissime Regni Primas, fuisti in Zaluscios Animo, eodem, Te exemplum praeeunte, fuerunt ceteri Sarmatiae Proceres, fuit Regni Nobilitas, imo fuerunt Sarmatae uniuersi. Omnes delectationis suae publicaeque uoluptatis spem, in Zalusciorum humanitate positam, habuerunt.

Non inanem uero spem aluistis, Sarmatae. Haec ipsa enim celebritas, haec pompa, quam Zaluscii, ut datam fidem liberent,

 instru-

instruxerunt, spem Vestram, nisi superat, certe implet largius. Hic, inquam, dies Vestrae uoluptatis publicaeque delectationis edit auspicium. Nec auspicium saltem edit, sed etiam, dum Sarmatae erunt, duraturam spondet, omine indubio. Quacunque respiciatis, singula momenta praebent uberrimum delectationis argumentum. Delectat adspectus Vtriusque Zaluscii, quos uoluptatis Vestrae recte dixerim Auctores. Quantus, per Deum, Frontis et Oris decor, quo, in splendidissimo isthoc Procerum Coetu, Regni literarumque causam orant! Quam grandem Animum hic decor arguit! Quam gestu, ad arguendum Patriae amorem perquam composito, amplissima possessione sua cedunt! Neque tam gloriosum est, quod cedant, quam quod Patriae publicaeque rei cedant, eoque ipso aliis, illustribus ceteroquin, bibliothecarum dedicationibus suam reddant multo illustriorem. Fateor, illustre esse, Bessarionem, Cardinalem, praestantissimam Bibliothecam suam Mauro, Venetorum Duci, donasse,[b] illustre etiam, Iacobinos, apud Parisios, Bibliothecam suam dicasse Franciae Delphino.[c] At in utraque dedicatione rerum nihil actum fuit, ut in publicam rem redundaret dedicationis fructus. Contra, si quis Zalusciae Dedicationis formulam poscat, eius primum caput, primam legem, intelliget, esse publicam utilitatem. Scilicet, cum seculi infelici-

tatem

b) IO. PALATIVS *in Fastis Ducal. Venet. pag. 166.*

c) GERM. BRICE *dans la Description de la Ville de Paris, Tom. I. pag. 181.*

d) AMM. MARCELLINVS *Lib. XIV. cap. 6.*

e) CHRYSOSTOMVS *in Exhortat. ad liter. stud.*

tatem arguat, ſi Bibliothecae, ſepulcrorum ritu, claudantur,[d] rerum ſatagunt Zaluſcii, Heroës Illi in ſeculi ornamentum nati, ut poſteris fidem faciant, feliciſſimum fuiſſe, quod iam tranſigimus, aeuum. Bibliothecae uſum publicum faciunt, dumque faciunt, uere Regium Animum oſtentant. Publicas enim condere Bibliothecas, et ciuibus, praeter corporis et patrimonii ſecuritatem, animi etiam pharmaca, ceu libros uocat Chryſoſtomus,[e] proſpicere, id Regum opus, id Regio Nomine dignum, ſemper habitum fuit. Certe Regum Attalicorum memoria, licet tot ſeculorum tractus interceſſerit, ob id ipſum adhuc in pretio habetur, quod egregiam Bibliothecam Pergami, ad communem delectationem, inſtituerint.[f] Tum etiam Aegypti Reges ideo memorabiles habentur, quod Bibliothecam Alexandrinam, illud, ſi Senecam audiamus,[g] pulcherrimum regiae opulentiae monumentum, regiaeque elegantiae et curae egregium opus, inſtruxerint.[h] Quo igitur Animo ſint Zaluſcii, inde manifeſtum eſt, quod cum Regibus paria faciant, et Bibliothecam, quam uentura poſteritas pulcherrimum Zaluſciae opulentiae monumentum, ſimul Zaluſciae elegantiae et curae egregium opus, appellabit, (imo iam nos appellamus) ad communem delectationem inſtruant, inſtructamque Patriae dedicent. Imo, ſi rem curatius aeſtimemus, Regibus illis laude ſuperiores ſunt Zaluſcii. Adhaeſit enim

f) VITRVVIVS *Lib. VII. in Praefat.*
g) SENECA *de Tranquill. Animi cap. 9.*
h) VITRVVIVS *loc. cit.* Bibliothecam Alexandrinam deſcribit BONAMY *dans les Memoires de l' Academie Royale des belles lettres à Paris, Tom. IX. pag. 397.*

enim prisco illi aeuo (an recentiori adhaereat, nolo dicere) ea labes, quod heros indoctos, saepeque seruilium literarum ignaros, haberent Bibliothecae, regiae praesertim, ut plurimum non in studium, sed in spectaculum, comparatae.[i] Meliores heros, si modo, ex quo possessione sua se generosius abdicarunt, heri adhuc dici uelint, ostentat Bibliotheca Zaluscia, non in spectaculum, sed in studium, comparata. Meliores dico. Vtroque enim Zaluscio doctiorem Heroëm an seculum ferat, nescio. Non errabit, qui aut Andream, aut Iosephum, spirantem et ambulantem Bibliothecam dixerit, cum dubium sit, utrum in armariis, anne in Animis magis, collocauerint libros, in Patriae commoda comparatos. Sane illustria sunt, Reique Sarmaticae florem satis demonstrant, haec momenta. At illustria etiam uidentur, quae nunc attingam.

Scilicet alterum delectationis Vestrae argumentum (nam primum erat, Zaluscios esse, qui dedicent) est ipsa Bibliotheca, quam dedicant Zaluscii. Huius ambitum qui animo comprehendere uelit, is cogitet, eam certare cum regiis. Prima enim regiarum Bibliothecarum laus habetur, excelsos heros, ut amplam uoluminum molem compararent, immenso sumtu, per omnem terrarum orbem, libros conquisiuisse. Hac laude praesertim Galli, ne alios populos memorem, Franciscum suum,[k] Ludouicum XIV[l] et Ludouicum

i) Haec est querela SENECAE *in loco alleg.*
k) THVANVS *Histor. Lib. III. pag.* 57.
l) GERM. BRICE *dans la description de la Ville de Paris, Tom. I. pag.* 43.

douicum XV,[m] Auguſtos Bibliothecarum aut Conditores, aut Amplificatores, inſigniunt. At, ſi Bibliothecam Zaluſciam ſpectemus, nec gentem, nec prouinciam, reminiſcemur, quae Zaluſciis non miniſtrauerit aut uolumina, aut alia cimelia, Bibliothecae ornamenta. Tum, ſi uoluminum ineamus numerum, id regium eſt reputandum, quod hic abſolui uix poſſit. Iam illi, qui in laudandis Bibliothecis Regiis operam ponunt, excutiant ſingulas, ſubducant calculum, numerumque edant. Aut nullam inuenient, aut certe miraculum dicent, quae centum millibus conſtet uoluminibus. At hunc ipſum numerum, quantus quantus uideatur, aliquoties excedere fertur Bibliotheca Zaluſcia. Ex qua re palam intelligitur, quo ſumtu, quo pretio, illa conſtet. Regium dicerem ſumtum, niſi, quod Zaluſcii impendant, momentum eſſet, regio nomine aliquanto illuſtrius. Ne quid adulationi dare uidear, dicam, quod ſentio. Nempe, qui regem dicit impendiſſe, is facile incertum relinquit, anne ciuibus pluris conſtet regium illud impendium, quam ipſi principi, qui dicitur impendiſſe; incertum etiam anne populi magis, quam ſuo, ſumtu, liberalis ſit. Etenim id demum gloriae laudique ducitur, ſi quis de reditu ſuo, de ſuo patrimonio, partem decerpat, eamque, cum alia re profundi potuiſſet, in patriae utilitatem liberalius erogaſſe malit. Praecipua uero laudum Bibliothecae Zaluſciae pars eſt, quod Zaluſcii, incredibili

 pene

m) *Les Memoires de l'Academie Royale des Belles Lettres à Paris, Tom. VII. pag. 334.*

pene largitione, lautiſſimi Sui Patrimonii, tum fortibus Patrum factis, tum propria Virtute, et meritis in Patriam, quaeſiti, ampliſſimam partem in ſumtum erogauerint, eaque re ambiguum reddiderint, utrumne laudabiliori liberalitate Bibliothecam coëmerint, quam dedicent. Iam reliquam Bibliothecae Zaluſciae laudem exſequerer, at laudis ubertati paria uerba non inuenio. Si tamen in compendium eam mittere fas eſſet, contenderem, illam Vtriusque Sui Conditoris Ingenio eſſe parem.

Ex eo uero, quod par ſit, cognoſci facile poteſt, illam, cum Zaluſcio Ingenio nihil ſit fructuoſius, Regno Veſtro fructuoſiſſimam fore. Fructum edet largiſſimum, eoque ipſo largiſſimum Vobis dabit delectationis argumentum. Dicerem, Regno florem allaturam eſſe, niſi illa iam dum florentis Regni manifeſtiſſimum faceret indicium. Semper enim Regna et Reſpublicae florere creduntur, ubi literis et ſtudiis pretium habetur. At nullibi habetur maius, quam in Sarmatia. Vnde habent populi, ut Sarmatiae florem mirentur. Ille uero Bibliothecae Zaluſciae fructus erit, ut florem illum, ſi modo augeri poſſit, auctiorem reddat, ampliioremque. Scilicet, cum primum florentis reipublicae fulcrum ſit cultus ingeniorum, ingeniis uero colendis expoliendisque nihil datum

n) TERTVLLIANVS *Lib. de Idololatria pag.* 621. *Ed. Pariſ.* 1580.

o) FERRARIVS *in Orat. in Bapt. Nanium pag.* 681. *Edit.* IO. FABRICII.

datum ſit, quam literae, illa, quod Tertullianus ait,[n] ad omnem uitam inſtrumenta, quam libri, illa, ſi Rhetorum recentiorum diſertiſſimum[o] audiamus, omnis ſapientiae inſtrumenta, quam Bibliothecae, illa, quod recte iudicat Wilhelmus Malmesburienſis,[p] omnium liberalium artium armaria et ſacraria, facile aeſtimabitis, quantum ingeniorum politiſſimorum prouentum, et, quem ingeniorum prouentus afferet, Reipublicae Veſtrae florem, quantum etiam floris faſtigium, ſpondeat Bibliotheca Zaluſcia, tanto librorum numero, delectu, omnique alia laude, adeo commendata, ut commendatiorem nec ullus oſtentet populus, nec ullum ſeculum. Quanti poſthac erunt ingeniorum, et ſtudia, et ingenii laudem, aemulantium, in hac Bibliotheca concurſus? Non ii tantum, qui ſapientiae adhuc rudimenta capiunt, ſed ipſi ſapientiae myſtae, imo, ſi magnae rei uaticinium dicere liceat, Ipſi Sarmatiae Proceres, Ingenii Sapientiaeque laude pridem Celebratiſſimi, Baſilicam, Bibliotheca Zaluſcia illuſtrem, frequentius inuiſiſſe, laudi ducent, dumque in ea diuerſabuntur, ſibi, (quod ille de Bibliotheca Budenſi ait,[q] ego rectius de Zaluſcia) non in Bibliotheca, ſed in Iouis gremio, eſſe, uidebuntur. Crederemus, Luculli tempora redire, qui, cum multos, beneque ſcriptos, libros conduxiſſet, eorumque uſum, quod Plutarchus laudat,[r] poſſeſſione laudabiliorem, id eſt,

B 2 publi-

p) Vid. CONRING. *in Antiqu. Acad. in Supplem.* 31. *pag.* 286.

q) IO. ALEXANDER BRASSICANVS *in Praef. ad Edit.* SALVIANI *de Gubernatione Dei.*

r) PLVTARCHVS *in Vita Luculli circa fin.*

publicum, inſtituiſſet, ea re effecit, ut eo ſe literarum cultores, tanquam in Muſarum aliquod diuerſorium, libere reciperent, aliisque negotiis euitatis, iucunde dies ibi commentando exigerent. Crederemus, inquam, niſi Luculli tempore noſtrum reputandum eſſet felicius, tum, quod publicae delectationis et iucunditatis Auctores contingat eſſe Zaluſcios, tum, quod numero, et reliqua re, illuſtrior ſit, qua nunc delectamur, Bibliotheca, tum praeſertim, quod Bibliothecae poſſeſſionem aeque, ac uſum, laudabilem faciant Zaluſcii. Vtrumque enim faciunt publicum, cum Lucullus faceret alterutrum. Poſſeſſione enim cedere negauit. Zaluſcii cedunt ultro. Ego, ſi quam in comparationis aleam adducenda eſſet ſeculi huius felicitas, dicerem fortaſſe, eam parem uideri illi, quam attulit Ptolemaei, laudatiſſimi Regis,[s] ſeculum. Hunc Regem uetus hiſtoria memorat,[t] infinito zelo, multaque induſtria, inſtituiſſe Alexandriae, ad publicam delectationem, Bibliothecam ampliſſimam, idque egiſſe, ut ea cum Attalicorum Regum Bibliotheca, quam Pergami inſtruxerant, decertaret. Zaluſcii uero, uti reliqua uirtute, ita Bibliothecae ſtudio, Ptolemaeum aequant. Suam enim Varſauiae inſtituunt, cum regiis decertantem. Imo, quae dicam, fidem facient, pari animo auſuque egiſſe Ptolemaeum, et Zaluſcios. Ptolemaeus enim, cum Bibliothecam, ut Vitruuii uerbis

s) BONAMY *Memoires de l'Academie Royale des belles Lettres à Paris*, Tom. VIII. pag. 175. eum praeſertim uocat *recommendable par ſa liberalité, la nobleſſe de ſes ſen-*

bis [u] loquar, summa diligentia perfecisset, non putauit, id satis esse, nisi propagationibus in seminando curaret augendam. Itaque Musis et Apollini ludos dedicauit, et, quemadmodum athletarum, sic scriptorum, uictoriis praemia et honores constituit. Iudices etiam, qui probarent, legit. Adhuc uero omnium animis altius haeret infixum, quam Zaluscii anno superiori, cum perfecissent Bibliothecam, rerum sategerint, ut non tam Bibliothecam, quae augeri non poterat, quam rem literariam, augerent. Dedicati Musis et Apollini ludi. Indicta athletarum certamina. Proposita uictoribus praemia et honores. Lecti literarii certaminis iudices. Sic nulla plane re Ptolemaeeae celebritati cessit Zaluscia. Vtraque regio animo instituta, regio etiam peracta, fuit. Sed, ubi curatius rem perpendo, non pari egerunt animo. Zaluscii egerunt meliori. Ptolemaeum, quod diserte memorant scriptores, studium aemulandi adegit, ut Bibliothecam instrueret; nec instruxisset, nisi Reges Attalici, quibus literarum gloriam laudemque inuidebat, Pergamenam condidissent. At Zaluscii, quibus, difficile est, parem Animo et Virtute Heroëm inuenire, maiori cum animi religione Suam instruxerunt. Stimulus, qui adegit, fuit Vestra, quotquot Sarmatiam, felicissimam terram, incolitis, Vestra, inquam, salus. Inde cognoscere licet, quem Sarmaticae rei

 fructum

timens, et sa débonnaireté à l' égard de ses amis.

t) VITRVVIVS *Lib. VII. in Praef.*

u) VITRVVIVS *loc. cit.*

fructum afferant Zalufcii. Inde etiam augurium capere, quem fructum allatura fit Bibliotheca Zalufcia. Afferet certe Zalufciorum Animo parem, hoc eft, dignum Nomine Polono.

Illuftriffimum nunc attingo caput, Veftrae delectationis argumentum potiffimum. Scilicet eft una res, quam uehementius appetunt, multoque impendio quaerunt, populi, populorumque regnatores, gloria. Plerumque illa urbium excifione, et ciuium fanguine, aut certe lacrymis, redimitur. At Veftri Regni Gloria, quae pridem ampliffima habita fuit, nullo ciuium difpendio, potius lucro, augetur hoc ipfo die, quo, ad literarum laudem, omni alia Regnorum laude potiorem, obtinendam, aptior nullus. Etenim, qui Bibliothecam donat, ambiguum efficit, utrumne ei magis, cui donat, quam fibi, gloriofam rem faciat. Dabo rei argumentum. Serenus Sammonicus reliquit Gordiano, Imperatori, Bibliothecam, fexaginta mille uoluminibus ampliorem. Cui uero crederetis, maiorem deberi laudem? Vtrum Sereno, qui reliquit? an Gordiano, cui relicta fuit? Nifi fallor, in Serenum confentitis, cum, generofius effe, uideri poffit, donare, quam, quod donetur, recipere. At audiatis ea de re Iulium Capitolinum:* *Hoc Gordianum ad coelum tulit. Siquidem tantae Bibliothecae copia et fplendore donatus in famam hominum, literarum decore, peruenit.* Iam extra omnem

*) IVL. CAPITOLINVS *in Gordian. Iun.*

omnem controuerſiam poſitum eſt, Sereni Sammonici Bibliotheca illuſtriorem eſſe Zaluſciam, ſi uel numerum, uel ſelectum, librorum, praeſertim uero, ſi animum donantis, ſpectemus. Serenus enim ſuam Gordiano reliquit moriens, utique retenturus, niſi potentius fatum ulteriorem huius uitae uſuram negaſſet. Neſcio uero, an liberalis dicendus ſit, qui ideo donet, quod uideat, mox cedendum eſſe poſſeſſione, etiamſi non donet. Laudabilior eſt Zaluſciorum liberalitas. Hi, in omnium rerum flore conſtituti, opes Suas literarias Patriae erogant. Hinc nemini mirum uidetur, potius conſentiunt populi et regna, quod res tanta Vos Sarmatas, Veſtrumque Nomen, ad coelum ferat. Nulla res, hac ipſa aetate, hominum fama magis celebratur, quam quod tantae Bibliothecae copia et ſplendore donati ſitis, celebratur etiam, quod, literarum decore, Regnum Veſtro illuſtrius nullum ſit. Haec, inquam, iam fama celebrantur. At aetas, quae mox ſequetur, celebrabit illuſtriora momenta. Nos enim, rei nouae ſplendore ueluti adhuc praeſtricti, laudem, hinc Zaluſcia largitione, illinc Sarmatico Nomine, dignam, expedire non poſſumus. Expediet poſterior aetas, cum rei illuſtri ſenſim adſueuerit. Nec ea tantum, in laudanda utraque re, negotium ponet. Aemulari etiam contendet. Quam ſuaue Vobis futurum creditis ſpectaculum, cum ex remotioribus, et cultiſſimis quidem, regnis aduenae, illuſtres etiam, Varſauiam certatim petent, interque peregrinationis cauſas praeſertim iactabunt, illud

illud Regni Veſtri Ornamentum, Bibliothecam Zaluſciam? Cum enim Regnorum, imo orbis, ornamenta ſemper habitae ſint Bibliothecae,[y] quidni habeatur Zaluſcia, quae reliquis omnibus plane palmam praeripit. Quanta Vos perfundet uoluptas, cum uidebitis, illuſtribus aduenis immiſceri Principum et Regum Legatos, exploraturos, quam aulae imitentur, uniuerſam Bibliothecae Zaluſciae formulam? Quantam Vobis res afferet delectationem, cum publice memorabitur in annalibus, Principes et Reges, non tantum ad condendas Bibliothecas, Zaluſciorum exemplo, excitatos, ſed etiam in condendis formulam Zaluſciam aemulatos, eſſe. Hoc certe non tam Zaluſciis, quam integrae Sarmatiae, laudi erit et gloriae. Ecquid enim ſentitis? Vtri, an Italiae, an uero Borromaeo, Cardinali, laudatiſſimo illi Bibliothecae Mediolanenſis, quam Ambroſianam uocant, conditori, magis glorioſam eſſe diceretis rem, quam narrabo. Regis Luſitani Legatus, cum a Romana urbe ad Vlyſſiponenſem contenderet, et in itinere, ad Bibliothecam Ambroſianam, Borromaeo conditore illuſtrem, inuiſendam, Mediolanum deduceretur, tam ſpecioſa rerum imagine captus fuit, ut Regi ſuo mox referret, hanc Bibliothecam, et pulcritudine, et opulentia, ſi Italia ſpectetur, ſuperari a nulla. Princeps, accepto hoc nuntio, mox tacito incenſus eſt deſiderio, parem Borromaeae in

Metro-

y) Hinc a CHASSANAEO Bibliothecae referuntur inter ea, quae gloriam mundi abſoluunt, *in Catalogo Gloriae mundi Conſid. 73. pag. 586.*

Metropoli ſua condendi. Tum eiuſdem exactiſſimam delineationem, ad architectonicae artis leges, exarandam, ſimulque regiminis formam, librorum numerum, aediumque apparatum, fideli calamo deſcribenda, mandauit. z) Dicetis, magnam huius gloriae partem Borromaeo, maiorem tamen uniuerſae Italiae, deberi. Borromaeo quidem, quod Regi exemplum fuerit ingenio. Italiae uero, quod ciues producat, quorum ingenia Reges aemulentur, qua laude inter prouinciarum laudes nulla illuſtrior. Iam aeſtimetis, quae Veſtri Regni Gloria futura ſit, cum Zaluſcia Bibliotheca Borromaeam multa re ſuperet, ſuoque ſplendore ac cultu iam Regum Animos in admirationem rapiat, mox futura regiarum Bibliothecarum archetypus.

Tanta igitur cum ſit Gloriae amplitudo, ut ampliorem animo concipere nemo poſſit, haud difficilem coniecturam capimus, quo in pretio poſteri habituri ſint AVGVSTISSIMVM AVGVSTI TERTII NOMEN, cuius Auſpicio, et ueluti Numine, Polonum Nomen ad hoc ipſum Gloriae faſtigium euehitur. Habebunt certe, imo iam nunc populi habent, in maximo. Vt enim habeatur, haec ipſa dies tot miniſtrat cauſas, ut, niſi pridem habuiſſemus innumeras, in his ſatis praeſidii eſſet, ad parandam AVGVSTISSIMO

z) His fere uerbis idem refert IOSEPH. ANTON. SAXIVS *de ſtudiis literariis Mediolan. cap. 12.* qui liber Mediolani anno 1739. in 8. prodiit.

NOMINI immortalitatem. Quid enim Regibus Attalicis famae immortalitatem circumposuit, nisi Bibliotheca Pergamena? Quid Aegyptio Regi, Ptolemaeo Philadelpho, nisi Bibliotheca Alexandrina? Quantam laudem Augusto, Caesari, pepererunt Bibliothecae, eodem regnante, quod certatim produnt scriptores, perfectae et dedicatae? Quantam, in elogiis Regum Galliae, et aliorum regnorum, partem absoluunt Bibliothecae, iisdem imperantibus conditae? Iam uero, cum, AVGVSTI TERTII Auspicio, nobilissimam condi, contingat, quantam ea res dabit laudis materiam? Sane dabit largissimam, multumque ponderis habebit, ut Sarmatia, regnante AVGVSTO TERTIO, summum Laudis et Gloriae gradum attigisse, memoretur. Imo dicam aliquid amplius, quod omnia uincet laudum argumenta, quod tamen si dixero, uereor, ne INCOMPARABILIS PRINCIPIS Virtute adhuc uidear dixisse minus. Polonae Gloriae, quae iam maxima habetur, plane Auctor memorabitur AVGVSTVS. Et uere habendus est, si rem suis momentis ponderemus. Qui enim formam gerendae tractandaeque Reipublicae semper, Exemplo Suo, docuit, eaque re, Augusto Caesare, qui tantum docuit scribendo,[a] melior reputandus, FORMATOR REGNI[b] pridem appellari meruit, id praesertim ad formandum pertinere, regnique florentis argumen-

a) Augustum Caesarem librum de forma gerendae reipublicae scripsisse, ex DIONE narrat SEBAST. FOXIVS *de Histor. Instit. circa fin.*

argumentum esse, credidit, si tum literae, tum ingenia literis exculta, foueantur. Nec credidit modo, sed, ut SE uere REGEM et REGNI FORMATOREM ostenderet, utraque re SE Memorabilem fecit, tum literas fouendo, tum ingenia. Vtriusque rei documenta extant illustria. Illustrissimum tamen uidetur, et posteri Historiae Polonae partem iucundissimam dicent, quod CELSISSIMI PRINCIPES REGII, Illa, uti AVGVSTAE DOMVS, ita praesertim AVGVSTAE VIRTVTIS, Incrementa, non tantum eloquentia latiali, sed, ut, felicissimo Casimiri IV seculo, nostrum felicius esse, intelligatur, reliquis etiam artibus, quae forment ingenium, liberalius imbuantur. Quae res non literis modo laudi est. Est etiam ingeniis. Florentissima enim seculi ingenia REX AVGVSTISSIMVS circumspicit, et, in quacunque terrarum parte lateant, extrahit, inque Aulae Splendorem adducit, ut, eorum ministerio, ad ingenii literarumque laudem scandat EXCELSA SOBOLES. Hoc, inquam, erga literas et ingenia Animo cum sit AVGVSTVS TERTIVS, fieri non potest, quin eodem sint Proceres Sarmatiae, quos semper, Regum Suorum Exemplo, agere fides est. Vt plane aperiam, quod sentio, AVGVSTI Exemplo egerunt, et hoc ipso die, qui Gloriae Sarmaticae incrementum absoluit, agunt, Zaluscii. Vt ergo manifestum sit, magnam huius Gloriae partem deberi Zalusciis, cum diem instruant,

b) FORMATOREM IMPERII Augustum Imp. uocat TERTVLLIANVS *in Apol. cap. 34.*

maximam uero INCOMPARABILI AVGVSTO, cum instruendo diei Auspicium praebeat, et Exemplum. Quae res cum adeo illustris sit, ut illustrior cogitari nequeat, nescient certe ingenia, foecundissima etiam, dignam TANTO PRINCIPE laudem concipere, cum intellexerint, omni laude, quae in laudatissimis Principibus maxima esse credita fuit, Maiorem esse AVGVSTVM. Etenim, si quis, Augusti Caesaris, quem seculi ingenia omnibus modis fouisse scriptor perhibet,[c] uel Traiani Optimi, quo regnante studia spiritum, sanguinem, et Patriam, recepisse creduntur,[d] secula redire dixerit, id parum erit, nec nostri seculi laudem attinget. Sanctiori enim, ac ille, Animo AVGVSTVS TERTIVS seculi ingenia fouet, neque tam regnante, quam potius operante, AVGVSTO TERTIO, studia spiritum, sanguinem, et patriam, receperunt. Tum etiam seculi diuersitatem inde cognoscimus, quod uterque Caesar Caesaris dignitatem aut prensauerit, aut delatam cupidissime susceperit, AVGVSTVS TERTIVS bis delatam generosius recusauerit. Quae res uel sola AVGVSTVM Nostrum ipso Augusto Caesare Augustiorem, ipsoque Traiano Optimo Meliorem, efficit. Imo, etiamsi quis ipsas Regum Polonorum laudes, quae citra controuersiam sunt amplissimae, peruestigare uelit, difficillime inueniet laudem, quae, AVGVSTI Laude, non sit minor. Magna quidem laus est, quod Annales memo-

c) SVETONIVS *in Augusto cap. 89.* d) PLINIVS *in Paneg. cap. 47.*

memorent, BOLESLAVM V non ſuo tantum Regno fuiſſe in deliciis, ſed exteros etiam, et remotiores, populos in ſui admirationem traxiſſe. [e] Qui tamen idem hoc dixerit de AVGVSTO TERTIO, is dixerit minus. Scilicet BOLESLAO haec laus recte tribuitur, ob bene ſapienterque adminiſtratam Rempublicam. Sed, quod ſeculi magis, quam Principum, uitium erat, tunc Respublicae et Regna adminiſtrari poſſe credebantur ſine literarum politiorum adiumento, ſine cultu ingeniorum. At, qui AVGVSTVM TERTIVM laudare uelit, is animo complectatur, quod non ſolum Rempublicam bene ſapienterque adminiſtret, ſed etiam primum adminiſtrandae Reipublicae adminiculum, imo fulcrum, et ueluti munimentum, putet eſſe literas et ingeniorum culturam. Tum aliquis in eam fortaſſe trahi poterat ſententiam, eſſe iam aeui laudem eandem, quae fuerit, tenente Rempublicam CASIMIRO IV; Habuiſſe CASIMIRVM in complexu Virtutes, regio diademate dignas; Virtutibus adeo parem fuiſſe Regis fortunam et Regiminis diuturnitatem, ut, teſte Sarnitio, [f] nullus Regum Polonorum diutius feliciter regnauerit; ſobolem ei contigiſſe, uti numeroſam, ita Paternae Virtutis aemulam; Principes Regios liberalius, id eſt, ad literas politiores, ad eloquentiam praeſertim, inſtitutos, inſtituendis uero praeſtantiſſimos uiros admotos, fuiſſe; Quatuor ex Illis Regiam dignitatem et meruiſſe, et accepiſſe, quintum

 uero

e) LAVTERBACH. *Chron. Polon. pag.* 193. f) SARNITIVS *Annal. Polon. Lib.* 7. c. 7. p. 1172.

uero dignitatem, Regiae proximam; Sex Principes Regias totidem Ducibus, tum Stemmatum Gloria, tum terrarum, quas possederint, amplitudine, tum fortibus factis, commendatissimis, Augusto ritu, collocatas fuisse;[g] Auspicatissima Cracouiensi Ecclesiae fuisse CASIMIRI tempora; Episcopi Insignia tenuisse Sbigneum, Virum, quem Sarmatae dixerint Sidus clarissimum, quo sol nihil uiderit fulgentius, nec imposterum sit uisurus, qui illustrauerit, suaque persona nobilitauerit, Regni Poloni, et Ecclesiae Cracouiensis, splendorem, qui fuerit ciuilis et benignus, in hospites officiosissimus, moribus generosis, rara in singulos gratia, quo extincto uniuersos Regni Ordines, cum nullo seculo restitutum iri crederent Sbigneo similem, luctus occupauerit.[h] His Casimirianae laudis momentis nostri aeui laudem absolui; Iam gaudere, imo gloriari, Sarmatiam REGE, cui ob Regias Virtutes Schema Regium circumpositum fuerit; Esse Regiis Virtutibus parem Regiminis felicitatem, eoque certius capi augurium, fore diuturnum, ipsoque CASIMIRI Regimine diuturnius; Sobolem INCOMPARABILI AVGVSTO obtigisse numerosam, Paternae Virtutis uestigia legentem, et quam

maioribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides;

PRINCIPES REGIOS, Illos non Sarmatiae tantum, aut Saxoniae, sed

g) LAVTERBACH. *Chron. Polon. pag.* 343.

ſed Europae, Ocellos, florentiſſimorum ingeniorum miniſterio, ad omnem literarum paratum liberalius inſtitutos eſſe, et inſtitui etiamnum; Numero quinque eſſe, totidem futuros, cum iam mereant eſſe, populorum prouinciarumque Arbitros; Sex PRINCIPES FILIAS, uti Sexus SVI, ita DOMVS AVGVSTAE, Ornamenta eſſe; Trium iam Matrimonio rem Hiſpanam, Gallicam, et Bauaricam, fulciri; Tres reliquas in ſpem Regnorum, addo in ſpem Regum, adoleſcere; Cracouienſem Eccleſiam iam ornari Praeſule, qui Sbigneo, niſi ſuperior, certe omni laude par, ſit, Suaque Perſona et Regni, et Eccleſiae, ſplendorem nobilitet, et illuſtret, qui erga quemque, ſiue Sarmata ſit, ſiue peregrinus, modo bonam mentem amet, benignus ſit et officioſiſſimus, generoſiſſimo etiam Animo, rara in ſingulos Gratia, quem uniuerſi Regni Ordines, ob tantas Virtutes, quae Sbigneo ſimillimum reddant, in oculis ferant, et in florem Rei Sarmaticae diu Soſpitem uelint. Haec, inquam, omnia quandam utriuſque ſeculi, Caſimiriani et noſtri, ſimilitudinem arguere poterant. Sed diſſimilitudinem affert, quod CASIMIRO IV Maior ſit AVGVSTVS TERTIVS. Maiorem enim eſſe, praeter tot, quae demonſtrant, documenta, demonſtrat Bibliotheca Zaluſcia, qua nullum illuſtrius Polonae Gloriae monumentum. Quod hoc uero AVGVSTI Auſpicio, imo, quod dixi, Exemplo, ſtatuatur, id EVM, CASIMIRO, et laudatiſſimo

h) Sbignei laudem his ipſis uerbis exprimit DLVGOSSVS *Hiſtor. Polon. Lib. XIII. ad an.* 1455.

tiſſimo quouis Rege, efficit Maiorem Memorabilioremque. Vnde ergo, cum tanta laudatorem circumſtet difficultas, ut ſemper, minus dixiſſe, uideatur, dignam Laudis materiam delibabimus? Vnde carminis, AVGVSTO digni, argumentum? Dabit Bibliotheca Zaluſcia, quae Bibliothecae Vlpiae uirtutem curioſius imitabitur. Narrabo uero, qua re Vlpia ſuam oſtenderit. Vario de argumento ſermonem miſcent Flauius Vopiſcus, et Iunius Tiberianus, Vir Illuſtris, Praefectus urbi, praecipue de uita Principum. Cum templum Solis laudant, reminiſcuntur, id conſecratum eſſe ab Aureliano, Principe. Mox ex Vopiſco quaerit Iunius, quis Aureliani Vitam in literas retulerit. Reſpondet Vopiſcus, neminem ſe Latinorum, Graecorum aliquos, lectitaſſe. Cui Iunius, indignam rem uideri, Aurelianum, Clariſſimum Principem, per quem totus Romano nomini orbis reſtitutus ſit, poſteris neſciri; ſe curaturum, ut Vopiſco ex Vlpia Bibliotheca libri lintei proferantur, unde ille conſcriberet, quae ad laudem Aureliani ſpectarent. Stat promiſſis Iunius, eoque ipſo efficit, ut integro commentario laudem Aureliani comprehendat Vopiſcus, qui ipſe rem copioſe narrat, haec ſubiiciens uerba:[i] *Si hoc contentus non fueris, lectites graecos, linteos etiam libros requiras, quos Vlpia tibi Bibliotheca, cum uolueris, miniſtrabit.* Ita ſcilicet Bibliotheca Vlpia paratiſſima ſemper fuit, miniſtrare cuique, qui Aurelianum laudare uellet, laudis argumentum. Hanc

Vlpiae

i) VOPISCVS *in Aureliano cap. 1.*

Vlpiae Bibliothecae laudem aemulabitur Zaluſcia, nemini non, qui AVGVSTVM TERTIVM, multa laude Aureliano Superiorem, poſteris commendare uelit, uberrimam Laudis materiam miniſtratura. Singula Bibliothecae Zaluſciae armaria, imo ſinguli libri, AVGVSTI Laudem memorabunt, aut certe, ut memoretur, et inſtrumenta erunt, et incitamenta. Ipſi etiam Zaluſcii Virtutem Iunii Tiberiani imitabuntur, et dignos Tanto REGE laudatores quaerent, eoque digniores quaerent, quo uerae ſolidaeque laudis Ipſi ſunt intelligentiores.

Eſſe uero Zaluſcios uerae laudis ſolidaeque gloriae intelligentiſſimos, ſi opus eſſet argumentis, plura afferret haec dies, qua nulla, ad laudem et gloriam parandam, accommodatior. Enarrabo potiora. Regnorum maxima laus eſt, ſi uirtus bellica literarum ſtudiis temperetur. Zaluſcii, artificio Suo, publice demonſtrant, Sarmatiam non bellica tantum uirtute, ſed literarum etiam laude, cum reliquis regnis in contentionem ire. Nulla maior Heroi, aut ſagato, aut togato, gloria parari poteſt, quam ſi palam fiat, eum literas non tam amare, quam deperire. Vobis uero, Proceres Sarmatiae, quotquot hoc die Varſauiam, ſimulque Bibliothecam Zaluſciam, Praeſentia Veſtra colluſtratis, hanc ipſam gloriam parant Zaluſcii. Etenim, dum Vos celebritati literariae, amico hortatu, adſtituerunt, palam fecere, Vos nulla non Virtute, etiam literarum

 amore,

amore, Heroës esse. Porro, quis laudem inuenerit, quae, laude ingenii, sit illustrior? At hanc Sibi Ipsis pridem peperere, et partam hoc die mirifice augent, Zaluscii. Tum, ut praecipuum caput memorem, an amplissimae Bibliothecae nobilior laus, aut solidior gloria, circumfundi posset, quam ab AVGVSTO TERTIO petita? Hanc uero petunt, hanc Bibliothecae circumfundunt, Zaluscii. Res est, uere ad delectationem composita, memoria repetere, quid rerum Illi egerint, et nunc agant, ut doceant, non felicius aliud, quam quod ab AVGVSTI et NOMINE, et NVMINE, capiatur, capi auspicium. Certe, si repetiero, uix quisquam sibi temperabit, quin animo uoluat, Bibliothecam Zalusciam accurate quidem dici Zalusciam, accuratius tamen AVGVSTAM, Nomine, quod Sarmatiae nullo non tempore, et, quis credat, iam ab Augusti, Caesaris aeuo,[k] auspicatissimum fuit. Instituerunt eam Zaluscii, ut illustre quoddam extaret monumentum, ex quo populi cognoscerent, maxime floruisse Rem Sarmaticam sub AVGVSTO TERTIO. Vt instituerent, exemplum fuit, et incitamentum, AVGVSTI Virtus. Institutam dedicaturi, operam dant, ut in AVGVSTI Conspectu dedicatio peragatur. Indicunt certamina literaria, ut certent ingenia in celebranda AVGVSTI Laude. Praemium certantibus proponunt, AVGVSTI Imagi-

k) Laudant enim Annales Augustum, Caesarem, quod erga Sarmatas mitem se praebuerit. SARNITIVS *Annal. Polon. Lib. III. c. 1.*

l) RIGORDVS, antiquus auctor, *in Praef. ad Vitam Philippi, Galliae Regis*, cum in prima operis fronte Regem dixisset Augustum,

Imaginem, auro expreſſam. Moram, dedicationi anno ſuperiori allatam, hac ipſa celebritate penſant, quae iam, inter publicam congratulationem, peragitur. At illa peragitur Auguſto menſe, Auguſti die, Auguſto loco, hoc eſt, in Regni Sede, Auguſto ritu, hoc eſt, in tot Procerum Regni, Regni Geniorum, Conſpectu; liceat addere, Auguſto etiam Animo. Auguſta igitur cum ſint omnia, quae Bibliothecam circumſtent, momenta, quidni ipſa ſit Auguſta? Imo, quod uere ſit, adhuc plura momenta urgent. Audio auguſtum dici ab aucta republica.[l] At Bibliotheca Zaluſcia Sarmatarum Rempublicam auget ingeniis, auget laude et gloria. Qui credunt,[m] ab auguſto augurio, quo res dedicetur, auguſtam uocari, ii etiam huic cauſae patrocinantur. Nihil enim unquam auguſtiori augurio dedicatum eſſe, recordamur, quam Bibliothecam Zaluſciam. Patrocinatur etiam, quod Dio contendat,[n] Octauianum uocari Auguſtum, quaſi hominis natura ampliorem; auguſta eſſe, quae honore ſint digniſſima. Bibliothecam uero Zaluſciâ ampliorem, aut honore digniorem, neſcit orbis literarius. Tum, ubi cauſam ſciſcitor, cur urbes, recenter conditas, auguſtas ſaepe dixerint conditores, ea, Velſero iudice,[o] fuit, quod illae reliquarum urbium principes habitae fuerint, et capita. Qui uero Bibliothecam Zaluſciam

 reliqua-

ſubiicit, ſe merito dixiſſe, cum auxerit Rempublicam.

m) SVETONIVS *in Auguſt. c.* 7. GELLIVS *Lib. XIV. c.* 7.

n) DIO CASSIVS *Lib.* 53.

o) VELSERVS *Rerum Auguſtan. Vindel. Lib. V. in Opp. pag.* 255.

reliquarum, quotquot extent, Bibliothecarum principem, et caput, dixerit, nec ſallet, nec ſalletur. Denique illud:

> *Sancta uocant auguſta patres, auguſta uocantur*
> *Templa,*[p]

argumento eſt, ueteres ea, quae diuinitate quadam gauderent, adeoque, cum uiolari ſummum haberetur nefas, ab inſultibus hominum ſalua et intemerata relinquerentur, auguſta dixiſſe. Iam uero Bibliothecae Zaluſciae, ſi Animum, quo condita ſit, ſi ritum auguſtum, quo dedicetur, ſi fructum, quem Regno ſpondeat, cetera, ſpectemus, tantam, deprehendimus, ineſſe diuinitatem, ut certo poſſimus augurari, ab omni, et temporis, et hominum, inſultu ſaluam ſemper fore, et intemeratam. Fidem huic augurio conciliabunt, quae dicam. Relicta a D. Auguſtino eccleſiae Hipponenſi Bibliotheca, Hipponem occupant illi non Hipponis magis, quam literarum, hoſtes, Vandali. Deuaſtant, depopulantur, omnia. Vrbem concremant. Incolas trucidant, furentes, et longa obſidione ſaeuiores redditi. Rerum Hipponenſium miſerrima facies! Sola uero, ſola D. Auguſtini Bibliotheca ſtat illaeſa, ſi non humana, quod ait Caeſar Baronius,[q] tamen angelica, uallata cuſtodia. Et Baſna-

p) OVIDIVS *Faſtor. Lib. I. u. 609.*

q) BARONIVS *Annal. ad ann. 430. LXXXVIII.*

r) BASNAGIVS *Annal. Tom. III. ann. 430. §. 4.* Imo audiatur etiam JEAN LE SUEUR, *Hiſtoire de l' Egliſe et de l' Empire, Tom. III. a. 430. Environ un mois, que Dieu l' eût retiré, tous les gens de guerre abandonnerent la ville à la merci des Vandales, qui ſ' en ſaiſirent, la pillerent, y mirent tout à feu et à ſang, y violerent les choſes les plus ſacrées, et y exercerent toutes les hoſtilités imaginables. Ils n' épargnerent, que la Bibliotheque de S. Auguſtin, qui étoit remplie de quantité de bons livres, et ils reſpecterent ſes ouvrages par une protection*

Baſnagius, non ſine Dei praeſidio, cum barbari ignes Hipponem uaſtaſſent, Auguſtini libros incendio exemtos eſſe, memorat.[r] Iam, qui perpendat, qua uirtute Auguſtinus hanc Bibliothecae ſuae fortunam meruerit, non poterit non parem Bibliothecae Zaluſciae fortunam augurari, cum par uirtus in Altero huius Bibliothecae Conditore, Andrea, eniteat. Auguſtinum Proſper Aquitanus uocat Epiſcopum per omnia Excellentiſſimum.[s] Qua uero dignitate Cracouienſi Eccleſiae praeſit Andreas, Vos aeſtimabitis, Sarmatae, qui ueram uirtutem ſuo aeſtimare ſoletis pretio. In Auguſtino doctrina et eruditio tanta eluxit, ut alius,[t] eum literis ſuis clara reddere, quae obſcura fuerint, contendat, alius[u] eum, ob literarum praeſtantiam, Tullii aemulum dicat; Andreae uero Doctrinam diſerte ſatis loquitur, ut cetera monumenta tranſeam, Bibliotheca Zaluſcia. Auguſtinum eloquentiae uindicem fuiſſe, inde manifeſtum eſt, quod eloquentiae non ſolum utilitatem ſtrenue defendat,[x] ſed etiam criminationem grauiter refellat.[y] At, quo artificio Andreas eloquentiae latiali ſplendorem ſuum aſſeruerit, omnes adhuc memoria tenemus. Auguſtini praecipua cura erat, ut Bibliotheca, et omnes codices, diligenter poſteris cuſtodirentur.[z] Nemo autem poſteritatis cauſam

viſible de celui, pour la gloire duquel il les avoit compoſez.

s) PROSPER AQVITANVS *in Chron. an.* 430.

t) PAVLINVS *in Epiſt. ad Auguſtin.* 94. *in Opp. Auguſt. Tom. II. pag.* 191. *Edit. Benedictin.*

u) NECTARIVS *in Epiſt. ad Auguſtin.* 103. *Tom. II. pag.* 218. *Edit. alleg.*

x) AVGVSTINVS *Lib. I. contra Creſconium Donat. in Opp. Tom. IX. pag.* 205.

y) *Lib. IV. contra Creſconium in Opp. Tom. IX. pag.* 328.

z) POSSIDIVS *in Vita Auguſtini cap.* 13.

ſollicitius egit, quam Andreas, qui tum Bibliothecam, tum etiam ampliſſimam, qua Bibliotheca poſteris cuſtodiretur, Baſilicam, Sarmatiae proſpexit. Imo duplici dote commendabilior eſt Bibliotheca Andreae, quam Auguſtini. Huius enim utilitas, cum Eccleſiae ſaltem Hipponenſi relicta eſſet, non tam late patere poterat, quam patet utilitas Zaluſciae, quae ſpectat ad omnes, ſiue indigenae ſint, ſiue exteri. Deinde, quod Auguſtinus ſuam donauerit moriens, id coniecturam admittit, forſitan non donaturum fuiſſe, niſi mortis uicinia liberalitatem extorſiſſet. Contra Zaluſcia Liberalitas ſe extorqueri non patitur. Igitur intelligitis, Bibliothecam Zaluſciam, quo magis Auguſtinianae laudem aequet, eo eſſe ſanctiorem et inuiolatiorem, et quo ſanctior et inuiolatior ſit, eo magis Auguſtae mereri nomen.

Haec quidem ad Andreae laudem ſpectare uidentur. Vere tamen ſpectant ad laudem Sarmatiae, cui glorioſum eſt, quod in Sinu Suo foueat Virum, qui Auguſtinum Virtute aequet, forſitan ſuperet; cuius Nomen, omnium conſenſu, dignum habeatur, ut, quod de Getkone, Epiſcopo quondam Cracouienſi, ſcriptor ait,[a] aureo inſculpatur calamo; quo, ut laudem paucis complectar, dignam ſatis laudationem, licet exuberet laudis materia, inuenire neſcio. At non minus honorificum Sarmatiae eſt Ioſephi Nomen. Quantae

a) KADLVBKO *Hiſt. Polon. Lib. IV. cap.* 2.

Quantae laudis eſt, quantae amplitudinis, communibus cum Andrea ſtudiis, in augenda Republica, elaborare? Elaborat uero Ioſephus, quem Poloniae Vlyſſem et Plinium commode dixero. Eant Bohemi, ſuique Herois, quem Vlyſſem et Plinium Bohemiae dixerunt, uirtutem, qua meruerit dici, metiantur. At metiantur etiam Virtutem Ioſephi. Certe, ſubducto calculo, ambigui haerebunt, utri magis, an Bohuslao Lobkouicio, an Ioſepho Zaluſcio, conueniat, dici. Bohuslaus ornauit gentem, ſtemmatis quidem uetuſtate, et omni reliqua, quae nobilitatem auget, uirtute, commendatiſſimam, principali tamen dignitate, etiamſi fortibus factis meruiſſe non negem, tum non illuſtrem. Haec enim, poſt Bohuslai fata, in Gentem Lobkouiciam illata fuit. Gens, quam ornat Ioſephus, omni re nobiliſſima, grauida ſemper Heroibus, uergente ſuperiori, et ineunte hoc, ſeculo, S. R. I. Principem oſtentauit, nunc oſtentat Ducem. Bohuslaus, cum in aliquot academiis cultum ingenii cepiſſet, tantam nactus fuit ingenii laudem, ut non ſolum laurea doctorali dignus haberetur, ſed etiam a Trithemio, cum nemine Germanorum, ingenii laude, in comparationem mitti poſſe, diceretur. Quid uero rei in academiis egerit Ioſephus, inde intelligitur, quod et Theologiae, et utriuſque iuris, Lauream reportauerit, et Ingenii magnitudinem, qui aeſtimare uelit, is aeſtimet, quantae molis ſit, Bibliothecam Zaluſciam condidiſſe. Vlyſſis cognomentum Bohuslaus accepit, ob peregrinationes, quas per Prouincias remotiſſimas

ſuſce-

ſuſceperat. Ioſephus, per cultiſſimos populos peregrinando, decennium exegit. Plinii nomen Bohuslaus tulit, ob uarietatem doctrinae, ob eloquentiam, praeſertim uero ob Bibliothecam, quod Balbinus[b] ait, memorabilem, multiſque librorum millibus diuitem, cui augendae nullis pecuniis pepercit. Varia uero Ioſephi doctrina, et eloquentia, late iam celebratur, etiam ultra terminos Sarmatiae. Bibliotheca quoque Zaluſcia quam memorabilis ſit, tum numero librorum, tum ſumtu, ex eo conſtat, quod ad utrumque ſtupeant populi. Tum meminiſſe iuuat, Bohuslaum, cum abeundum ei eſſet ad plures, Bibliothecam ſuam legaſſe uniuerſae Lobkouiciorum Genti, ea lege, ut is haberet uſum, qui inter Lobkouicios emineret doctrina et ingenio. Fateor, rem laudabilem feciſſe Bohuslaum. At laudabiliorem facit Ioſephus. Vigentibus adhuc annis Suam Bibliothecam Patriae tradit, effecturus, ut non Gens Zaluſcia ſaltem habeat, qui doctrina ingenioque emineant, ſed ut integra Sarmatia, literarum et ingeniorum laude, ceteris Regnis habeatur ſuperior. Lobkouicia Bibliotheca, quod adhuc luget Gens ſplendidiſſima, ferali incendio periit. Zaluſcia Bibliotheca, illud Splendidiſſimae Gentis monumentum aere perennius, intemerata ſtabit, dum literis et ſeculis clauſulam imponet ruens orbis. Quae dum diſputo, non tam Ioſephum laudare uideor, quam Sarmatiam.

Etenim

b) BALBINVS *Epit. Rerum Bohem. cap. XI. pag. 574. et in Not. pag. 583.* ubi et reliqua, quae attingo, laudis Bohuslai momenta, memorantur.

Etenim gloriosum quidem est, Vlyssem et Plinium esse, multo tamen reputatur gloriosius, Vlysses et Plinios gignere. Genuit uero, Illa magnis ingeniis foecundissima mater, Sarmatia.

Haec scilicet cum sit huius diei, huius celebritatis, conditio, ut, quicquid oculis, quicquid animis, attingamus, id omne Tuam, Sarmatia, Gloriam spiret, publicam hanc felicitatem Tibi Regna, Tibi Prouinciae, Tibi populi, gratulantur effusius. Gratulatur praesertim fidissima soror, Saxonia, quae, uti communibus Tecum auspiciis, Eodem PATRIAE PATRE, fruitur, ita, gaudii Tui, Tuae delectationis, Tuae uoluptatis, imo Gloriae Tuae, quandam partem ad se pertinere, credit, eoque magis in gaudia et uota effunditur. Effusissimis uero his gaudiis et uotis mea fidenter immisceo. Fiduciam enim Ipsa fecisti, cum publico Tuo Iudicio, quod omni auro pretiosius, ueluti ex compacto, omnes dixerunt, qui rem illustrem mihi gratulati sunt, me ornares, publiceque declarares, quod res meas, an reculas dicam, aliquid esse putes. Nec fiduciam saltem fecisti. Effecisti etiam, ut pietate in Te, Tuumque Nomen, cedam nemini, nec Tuis cessurus indigenis. Ne igitur hoc ipso die, quem indigenae Tui congratulationibus et uotis consumunt, mea sibi desit pietas, symbolam confero, nescio, an ullo cultu suo, ipsa tamen pietate, commendabilem. Votis prosequor diem, multa re illustrem, ea tamen re, quod INCOM-

PARABILI AVGVSTO TERTIO ſacra ſit, illuſtriſſimum. Votorum ſcilicet pars AVGVSTISSIMI REGIS, SERENISSIMAE REGINAE, CELSISSIMORVM PRINCIPVM REGIORVM, et totius DOMVS AVGVSTAE, florem et incrementum coelo depoſcit; Pars ſuperos ſollicitat, ut Celſiſſimum Regni Primatem, et Splendidiſſimos Regni Ordines, Saluos uelint, Saluam Sarmatiam Vniuerſam, Saluam Sarmatici Nominis Dignitatem Maieſtatemque; Pars denique id agitat, ut ratum fiat, quod edidi, uaticinium, intemeratam per ſecula fore Bibliothecam Zaluſciam, illud (ut dicam, qua laude Zaluſcii Alexandrum VII,[c] Pontificem Maximum, egregiae Bibliothecae Conditorem, aemulentur) adoleſcentibus illicium, ſenibus ſubſidium, otioſis ſpectaculum, occupatis diuerticulum, ſtudioſis negotium, Conditoribus glorioſum monumentum; Vnum addere liceat:[d] Illud REGNI SARMATICI DECVS ET PRAESIDIVM.

c) Alexander enim, publicam Romae Bibliothecam conditurus, eo agebat animo, ut his, quas recenſeo, uirtutibus illam inſtrueret. Rem narrat AVCTOR *Deſcriptionis Archigymnaſii Romani ab Alexandro VII perfecti*, quae prodiit Romae, ann. 1661.

d) Hoc elogium mutuor a nummo aureo, quo Gratioſiſſima Andreae Zaluſcii Manus me ditauit. Eum enim, praeter reliqua ſchemata, ornat epigraphe: DECVS ET PRAESIDIVM.